

SECTIO VI.

DE

SIGNIS FORMVLAE.

§. 226.

Omnis
formula
signis est
exprimenda.

Cum formula sit determinatio modi, quo medicamentum fieri debet, signis expressa §. 2, sequitur, ut omnis formula, si est concinnanda, signis sit exprimenda.

§. 227.

Defini-
tio signi.

Signum est obiectum externum, siue in sensus incurrens, cuius cogitatio excitat in nobis cogitationem rei alterius cum ipso coniunctae.

Formula
per talia
est ex-
primen-
da, quo-
rum co-
gitatio-
nes exci-
tant co-
gitatio-
nes alia-
rum re-
rum.

§. 228.

Omnis formula signis est exprimenda §. 226. Iam signa sunt obiecta externa, quorum cogitationes excitant in nobis cogitationes rerum aliarum cum ipsis coniunctarum §. 227. Ergo omnis formula est exprimenda per talia obiecta, quorum cogitationes excitant in nobis cogitationes rerum aliarum cum ipsis coniunctarum.

§. 229.

Signa
cogita-
tionum
eas ex-
primunt
vel com-
muniter
vel non.

Omnia signa, quibus cogitationes nostrae exprimuntur, sunt ita comparata, ut vel communiter iis utamur ad cogitationes nostras per ea exprimendas, vel non communiter.

§. 230.

§. 230.

Signa cogitationum, quibus communiter utimur ad eas exprimendas, dicuntur ordinaria, extraordinaria vero sunt ea, quibus non communiter utimur ad cogitationes nostras exprimendas.

§. 231.

Omnia signa cogitationum sunt ita comparata, ut vel iis communiter utamur ad cogitationes nostras exprimendas, vel non §. 229. Iam illa audiunt ordinaria, haec extraordinaria §. 230. Ergo omnia signa sunt vel ordinaria, vel extraordinaria.

§. 232.

Ordinaria cogitationum signa referuntur vel ad sensum visus, vel auditus,

§. 233.

Ordinaria illa cogitationum signa, quae pertinent ad sensum auditus, sunt soni articulati, qui vocum nomine, et quatenus signa sunt idearum, terminorum nomine veniunt.

§. 234.

Illam signa cogitationum ordinaria, quae ad sensum visus referuntur, sunt ductus in extenso quopiam, et hi *scripturae* nomine veniunt.

§. 235.

Scriptura indicat vel proxime, siue immediate cogitationes, vel remote; siue mediate, dum proxime voces indicat atque per has deinde cogitationes.

H 5

§. 236.

Definitio signorum ordinariarum! et extraordinariarum.

Omnia signa sunt vel ordinaria, vel extraordinaria.

Ad quos sensus referantur signa ordinaria. De sonis articulatis, vocibus, et terminis.

De scriptura.

Scriptura indicat cogitationes vel mediate, vel immediate.

§. 236.

Defini-
tio scri-
pturae
ordina-
riae et
extraor-
dinariae.

Scriptura, quae mediate, siue remote cogitationes indicat, ita, vt proxime voces et his mediantibus tandem cogitationes denotet, dicitur *ordinaria*, haec vero, quae immediate, siue proxime cogitationes indicat, *extraordinaria* appellatur. Patet ergo, scripturam esse vel ordinariam, vel extraordinariam §. 235.

§. 237.

Scho-
lion,

Scriptura ordinaria apud plerasque obtinet gentes. Attendat quis v.g. ad scripturae genus ordinarium, quo Germani vel Latini vtuntur, et conuincetur de veritate eorum, quae dixi §. 236. Deprehendet nimirum, litteras Germanorum vel Latinorum non indicare immediate siue proxime cogitationes, sed primo voces, et deinde his mediantibus cogitationes, et sic quoque cum reliquis scripturae generibus est comparatum. Scriptura vero extraordinaria obtinuit olim in hieroglyphicis Aegyptiorum, atque hodiernum in Sinesium monumentis, itemque in Chemicorum et Astronomorum signis obtinet. Sic v.g. δ , quod notat chemicis ferrum, Astronomis planetam martem, et ♄ , quod apud Chemicos significat plumbum, apud Astronomos Saturnum, et alia signa pertinent ad scripturam extraordinariam. Denotant enim haec signa non immediate voces et his mediantibus demum cogitationes quasdam, sed res ipsas proxime et immediate.

§. 238.

§. 238.

Omnis formula signis est exprimenda §. 226. Iam signa cogitationum sunt vel ordinaria, vel extraordinaria §. 230. Ergo omnis formula signis cogitationum vel ordinariis, vel extraordinariis potest exprimi.

Formula
signis
vel ordi-
nariis,
vel ex-
traordi-
nariis
potest
exprimi.

§. 239.

Omnis formula signis cogitationum ordinariis potest exprimi §. 238. Iam signa cogitationum ordinaria referuntur vel ad sensum visus, vel auditus §. 232. Ergo omnis formula signis cogitationum ordinariis exprimi potest, quae referuntur vel ad sensum auditus, vel visus,

Formula
signis or-
dinariis
ad fen-
sum au-
ditus, vel
visus
perti-
nentibus
exprimi
potest,
Formula
vocibus
exprimi
potest,

§. 240.

Omnis formula signis cogitationum ordinariis exprimi potest, quae pertinent ad sensum auditus §. 239. Iam signa cogitationum ordinaria, quae pertinent ad sensum auditus, dicuntur voces §. 233. Ergo omnis formula vocibus exprimi potest.

§. 241.

Apparet ex hoc §. 240, Medicos peccare, Scholion, qui formulam definiunt per praescriptum medicamenti a Medico ad pharmacopoeum, chartulae siue schedulae inscriptum. Nonne Medicus, si pharmacopoeo vel alii scientia medicamenti praeparandi instructo praesens est, for-

for-

formulam aequè vocibus, ac calamo exprimere potest? Nemo certe hoc negare audebit,

§. 242.

Omnis
formula
scriptura
expri-
mi solet.

Omnis formula signis cogitationum ordinariis, quae pertinent ad sensum visus, exprimi potest §. 239. Iam signa cogitationum ordinaria, quae ad sensum visus pertinent, scripturae nomine veniunt §. 234. Omnis igitur formula scriptura exprimi potest. Atque hoc plerumque fieri solet.

§. 243.

Formula
scriptura
vel ordi-
naria, vel
extraor-
dinaria
exprimi
potest.

Omnis formula scriptura exprimi potest §. 242. Iam scriptura est vel ordinaria, vel extraordinaria §. 236. Ergo omnis formula scriptura vel ordinaria, vel extraordinaria exprimi potest.

§. 244.

Scho-
lion.

Verum est, omnem formulam scriptura vel ordinaria, vel extraordinaria exprimi posse §. 243, sed more non est receptum, ut formula, quae est scribenda, tota vel scriptura ordinaria, vel extraordinaria exprimatur, sed partim scriptura ordinaria, partim extraordinaria designari solet. Hoc vero nec necessarium esse, nec ad formulae essentiam pertinere, sed plane arbitrium et tantummodo ita usitatum esse, satis superque apparet. Sic haec formula:

R

℞ ♀is ♂ii Ⓞrat vlt. ☐tion.

☐i Ⓞlat. aa gr. VI.

conch. ppt. gr. VIII.

M. F. puluis.

maxima ex parte scriptura extraordinaria, ex alia vero parte, minima certe, ordinaria scriptura est expressa. Sed quaeritur, num ille sit reprehendendus, an non? qui scriberet ita:

Recipe: Sulphuris antimonii aurati
vltimae praecipitationis
tartari vitriolati ana grana sex
concharum praeparatarum grana octo
Misceatur, fiat puluis.

Respondeo: hic formulam scripsit regulis ad essentiam eius pertinentibus exacte respondentem, nec vlla in re est reprehendendus, nisi in eo, quod in scribenda formula modum scripturae a Medicis receptum non fuerit sectus.

§. 245.

Hic posterior modus exprimendi formulam sine characteribus, de quo §. 244. dictum est, Medicis nimis prolixus forsitan, ut meafert opinio, et molestus est visus, eamque ob causam, ut huic mederentur incommodo, et brevius exprimerent formulam, inuenerunt certos characteres, siue signa. Sed alia quoque iis esse potuit ratio characteres exco-

Cur
signa
formu-
lae in-
venta
fuerint.

gitan.

gitandi, vt nimirum ea in formula celarent, quae aliis scitu nec necessaria, nec scire licita fuerunt.

§. 246.

Signa
formu- Cum formula determinet tam formam,
lae respi- quam materiam medicamenti §. 4. 5. signa
ciunt vel circa formulam occurrentia respiciunt vel for-
formam, mam, vel materiam medicamenti.
vel ma-
teriam
medica-
menti.

§. 247.

Signa re- Ea, quae materiam medicamenti consti-
spicien- tuunt, dicuntur ingredientia eiusdem §. 8.
tia mate- Iam signa in formula respiciunt vel materiam
riam me- medicamenti, vel eiusdem formam §. 246.
dica- Ergo ea signa circa formulam occurrentia,
menti respiciunt materiam medicamenti, re-
respi- spiciunt quoque ingredientia medicamenti.
ciunt
quoque
ingre-
dientia
medica-
menti.

§. 248.

Signa in- Signa, quae respiciunt ingredientia me-
gredien- dicamenti, spectant porro eorum vel quali-
tium tatem, vel quantitatem.
sunt ite-
rum du-
plicia.

§. 249.

§. 249.

Signa ingredientium medicamento quoad qualitatem in omnibus Lexicis pharmaceuticis occurrunt, vt superuacaneum sit, ea hic loci repetere.

De signis

ingredien-
tium
quoad
quali-
tatem.

§. 250.

Signa ingredientium quoad quantitatem sunt p, quod denotat pugillum, et m, quod denotat manipulum. Reliqua huc pertinentia iam indicata sunt §. 203, ideo ea pariter hic repetere nolo.

De si-
gnis in-
gredien-
tium
quoad
 quanti-
tatem.

§. 251.

Cum signum sit obiectum externum, cuius repraesentatio in alio excitare debet repraesentationem rei alterius cum ipso coniunctae §. 227, Medico signis in formula, ad quam quis medicamentum praeparare debet, vsuro, talia eligenda sunt signa, quorum repraesentationes excitant in alio, qui medicamentum praeparare debet, cogitationes illarum rerum, quas cum istis signis coniunxit.

Quae-
nam si-
gna Me-
dico in
formula
sint eli-
genda.

§. 252.

Medicus signis in formula, ad quam quis medicamentum praeparare debet, vsurus, eiusmodi adhibere debet signa, quorum repraesentationes excitant in alio, qui medicamentum ad formulam datam praeparare debet, cogitationes illarum rerum, quas cum suis signis coniunxit §. 251. Qua de re ipsi eiusmodi signis in formula vti non licet, quorum repraesentationes in illo, qui medicamentum ad hanc praeparat.

Quae-
nam si-
gna por-
ro Medi-
co in
formula
vitanda
sint.

prae-

praeparare debet, vel plane nullas excitant cogitationes illarum rerum, tanquam cum istis coniunctarum, vel illas quidem, sed et praeterea alias, quas cum signis suis nec coniunxit, nec coniungendas esse voluit.

§. 253.

Definitio signi ignoti et aequiuoci.

Si quod signum in alio nullam excitat cogitationem alterius rei, tanquam cum ipsa coniunctae, hoc alii est ignotum; si vero quoddam signum in alio excitare quidem potest cogitationem eius rei, quam quis cum ipso coniunxit, sed praeterea etiam aliam, quam cum signo suo non coniunxit, ita, vt alius nesciat, vtra signo indicetur, hoc alii est aequiuocum.

§. 254.

Medicus in formula non debet adhibere signa, quae praeparanti medicamento sunt ignota vel aequiuoca.

Medicus signis in formula vsurus non eiusmodi debet adhibere, quarum cogitationes in illo, qui medicamentum ad hanc praeparare debet, vel plane non excitant cogitationes illarum rerum, quas cum istis coniunxit, vel illas quidem, sed et praeterea alias, quas cum signis suis nec coniunxit, nec coniungendas esse voluit §. 252. Iam priora signa sunt ignota, posteriora aequiuoca §. 253. Ergo Medicus signis in formula vsurus non adhibere debet signa, quae praeparanti ad hanc medicamentum sunt aequiuoca, vel ignota.

§. 255.

§. 255.

Hoc, quod demonstraui de signis in genere
 §. 251 — 254, valet quoque de signis allegatis
 §. 249. Qua de re Medicus in eo caute
 et circumspecte agere, nec iis signis promi-
 scue in formulis vti debet, nisi certus sit, ea
 praeparanti medicamentum ad formulam esse
 nota. Eum praeterea signa, si quibus vti ve-
 lit, distincte exprimere debere, vt praeparans
 medicamentum illa cognoscere possit, facile
 patet.

Quae
 Medico
 circa
 signa
 §. 249.
 sint ob-
 seruan-
 da.

SECTIO VII.

DE

QUALITATIBVS FORMVLAE
ACCIDENTALIBVS.

§. 256.

Nec est necessarium, nec ad formulae es-
 sentiam pertinet, vt ea in chartula scri-
 batur §. 241. Qua de re qualitates, quae for-
 mulae, respectu modi illam scribendi, compe-
 tunt, non erunt necessariae, sed accidentales
 tantum. Quoniam vero more est receptum,
 et plerumque fieri solet, vt formula schedulae
 inscribatur, qualitates quoque accidentales,
 quae ipsi hoc respectu propriae sunt, nosse de-
 bet Medicus formulam praescripturus, ne
 morem, qui hac in re obseruatur, vel igno-
 rasse, vel neglexisse videatur.

De qua-
 litatibus
 formu-
 lae acci-
 dentali-
 bus in
 genere.

(Pars I. de form. in gen.) I §. 257.